

SS 1725

ACADEMIÆ LUDOVICIANÆ 73

RECTOR

JOH. CONRADUS
ARNOLDI,

SS. THEOL. & PHIL. D. LOG. & METAPHYS. PROF. ORD.

UNA CUM

UNIVERSO SENATU ACADEM.
LECTIONES INSTANTIS SEMESTRIS ÆSTIVI,

DEO JUVANTE ET BENEDICENTE,

PUBLICÆ ATQVE PRIVATIM TRACTANDAS,

OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS,

GENERIS PROSAPIA,

INDOLIS NOBILITATE, AC STUDIORUM
PRÆSTANTIA CONSPICUIS,

INDICE HOC INDICAT

SEDULOQVE COMMENDAT.

PP. SUB SIGILLO ACADEMIÆ MAJORI.

D. IX. APRILIS A. R. S. MDCCXXV.

GIESSÆ, Typis Vid. Joh. Reinh. Vulpilii, Acad. Typogr.

IN FACULTATE THEOLOG.
JOANNES CHRISTOPH. BIELENFELD,
Theol. Primarius.

POSTquam in *Lectio*nibus *publicis* Epistolam Pauli ad Titum tractatione exegetica, porismatica & homiletica absolvit, aliam, quam è re studiorum Theol. esse judicabit, eadem methodo aggredietur. In *privatis*, Theologiae Biblicae partem ultimam ad finem perducet, & in *Historia* Ecclesiastica Seculum quartum ordietur, nec non disputationes publicas, ad theses è Theologia Biblica sumtas, instituet.

JOH. BARTHOLOMÆUS RÜDIGER,
D. & Prof. Ord. Consistorii Princip. Adseffor, ac tractus
Marpurgens. Darmst. Superint.

POSTeaquam quod intra privatos parietes pro explicanda examinandaque *thesi Theologica* quotidie habuit Collegium, nuper admodum absolvit, prosperante Deo, *publice*, quæ in pertractanda *Formula Concordiæ* sueta hactenus methodo tradidit, prosequetur, pariterque ad exitum perducet; quibus peractis, novum si complacuerit publicum, sive in B. BAJERI *Collation. Quacker. & Protestantium*, sive DN. ZELTNERI *Breviar. Controvers. cum Fanaticis adhuc agitatarum*, lubens inchoabit, in *privatis* expectaturus, aut quid vel fors ratio temporis, aut Dnn. Auditorum conditio ac desideria tulerint ulterius.

JOH. GOTTFREDUS SCHUPART,
SS. Theol. P. P. O. Consistorii Princip. Adseffor & Dioces.
Alsfeld. Superintendens.

PUBLICe, absolutis prioribus libris Mosaicis, ad expositionem LEVITICI progredietur; perget etiam, eo, quo hactenus suevit, studio, in explicatione prophetiarum ESAIÆ. Privatos intra parietes commentabitur in epistolam ad EBRÆOS, idque operam dabit, ut facta cujuslibet capituli & commatis *dispositione*, inquirat in eorum *nexum*, & dehinc ipsius sensus *investigatio* accedat, nec omitiet, quæ ad revincendas adversariorum, Socinistarum præcipue, *strophas* & corruptiones pertinent, ubique & *Veritatis & Pietatis* curam culturamque spectaturus. Laboris denique

denique, quod in tractanda *Theologia Positivo-Polemica* adhuc superest, nos porro, citra lassitudinem, duabus quotidie horis, non tamen ultra semestre hoc spatium, exercebit.

JOH. GEORG. LIEBKNECHT,

SS. Theol. D. & Professor Publ. Extraordin.

Publice exercitium disputatorium quidem continuabit, novatoribus hucusque oppositum, sed ita, ut theses nonnullas ex reformationis historia, cuius nunc memoria recurrit, maxime petitas, iisdem hominibus opponat. *Privatim* lectionem in Evangelium S. LVCAE exegetico-practicum instituet, nec in aliis partibus suam vlli denegabit operam.

IN FACULTATE JURIDICA.

IMMANUEL WEBER / J. U. D.

Consiliar. Hasso-Darmstadin. Profess. Publ. Primar.
& Acadena. Syndicus.

Publicè Capitulationem novissimam Imperator, Caroli VI. notis necessariis atque utilibus explanabit. *Privatim*, ex Fr. Stypmanno, de *Referendariis, ad modum referendi ex Actis* manuducet, adhibitis semper ex jure rarioribus exemptis & casibus. *Collegium quoque Juris Feudalis*, ad Examen Strykii, nuper finitum; de novò ordietur.

JO. GODOFREDUS HARTVNGIVS, D.

Consiliar, Hasso-Darmstad. & Jur. Prof. Ordin.

Potissimum in Pandectis ad ductum Compendii *Lauterbächiani* explicandis publice privatimque occupabitur, sic quidem, ut *privatim* eas strictius interpretaturus, *publice* vero præcipuas Juris controversias fusius explicaturus sit: tum vero nec in aliis juris partibus operam suam desiderantibus deerit.

IO. DANIEL GRUBER, D.

Sereniss. Princip. Hass. Darmstad. Consiliarius & Jur.
Prof. Publ. Ordinar.

STeri promissis, **COMMILITONES**, atque, ut nostis, prælectiones meas omnes, cum *publicas* juris canonici, tum *privatas* omnis generis, qui-

bus proxime elapsam semestre hibernum dicatum fuerat, DEO largiente, emensus sum. Accingor itaque ad alias, & publice quidem semestri æstiuo, quod iam ingredimur, interpretabor SEVERINI de MONZAMBANO ingeniosissimam *de Statu Imperii Germanici* commentationem, omnium artium studiosis apprime in vita utilem, hora XI. *Privatim* iussu & auctoritate Celsissimorum S. R. I. Comitum, qui superiori anno in scholis meis diffusam sibi cum rerum Germanicarum, tum exterorum regnorum notitiam compararunt, magnumque & singulare assiduitatis & industriæ exemplum ceteris auditoribus præbuerunt, *iuris publici prudentiam*, duce HORNIO, docebo hora II. iisdemque flagitantibus *iuris civilis elementa*, ductu compendii STRUVIANI, propinabo hora IX. Quibus laboribus denuo iungam accuratam *historiæ Germanicæ* inde a gentis primordiis vsque ad Maximilianum I. pertexendæ tractationem, duce Schmauffio hora III. perficiendæque telæ subnectam prælectiones in *prodromum iuris publici*, nouissimorum sæculorum nucleum neruumque exhibentem hora X. Denique quum Illustrissimi ac Generosissimi ciues præter hæc omnia, rerum, quæ nunc per Europam geruntur aularumque omnium pleniorum & dignam natalibus suis notitiam sibi tradi pridem flagitarint, eorum desideriiis hac æstate separatis horis pariter satisfacere constitui, initium prælegendi facturus. d. xxii. April. operamque daturus, ut vertente semestri his quoque exercitiis Colophonem imponere queamus. Faxit Deus feliciter!

JO. FRIDERICUS KAYSER,

J. V. D. & P. P. Ord.

HOris *Publicis* prælectiones Institutionum, ubi præterlapso semestri desit, hac æstate continuare & ad finem perducere contendet. *Privatim* eadem Juris rudimenta in gratiam novorum Justinianeorum de novo explicabit. Collegium quoque, ad Compendium Laurerbachianum, & Lectiones Juris publici ad Introductionem Schwederianam appetiet; nec deerit officio; si in aliis quoque legitimæ scientiæ partibus Dn. Dn. Commilitonum desideriiis inservire poterit.

JO. FRIDERICVS WUSSEL

Prof. Jur. Ord.

Publice Georg. Adam. STRUVII Jurisprud. Rom. Germ. notis illustrabit, & singulis septimanis exercitium disputatorium junget, cursum
Juris

Juris, quem cœpit, nec non lectiones privatas & privatissimas ad pandectas & institutiones continuabit, operam daturus, ut institutiones quam primum absolvat, iisdemque absolutis, novum collegium ad easdem aperiet, in aliis collegiis de novo aperiendis desiderio Dnn. Studioforum se accommodaturus.

GEORGIUS LVDOVICVS LEVTNER

Prof. Juris Extraörd.

Publice B. Georg. Adami Struvii Jurisprudentiam forensem interpretabitur, privatim Institutiones Jur. Civ. quas cum notis a se conscriptis imprimi curavit Jll. Boehmerus; Juris Publici Prudentiam, duce Coccejo, sed comite ubivis justitia & veritate, quoque explicabit: adhæc Collegium Jur. Nat. & Gent. ad ductum Institutionum Jur. Nat. Gent. a Dno Vitriario dilucide & solide editarum, auspicabitur, & postquam quatuor diebus Autoris adserta rationibus adstruxit, vel evidentioribus destruxit, omniaque pertractata negotia ad illustres controversias adplicuit, disputatorium singulis Saturni diebus habendum junget. Collegium ad Pandectas & Jus Feudale pro desiderio Dnn. Commilitonum lubens quoque aperiet, nec iis deerit, qui Collegia privatissima expetierunt.

IN FACULTATE MEDICA.

JOH. CHRISTOPH. HERTIUS, Med. D.

hujusque Prof. & Archiater Hasso-Darmst. Primar.

Ubi otium aulicum ipsi permittet versari in Academia, non deerit, si quacunque ratione Philiatrorum conatus promovere poterit.

D. MICH. BERNHARDVS VALENTINI,

Prof. Med. Ord.

In Lectionibus publicis *Medicinam Mysticam Bernardi Connor*, Medici è Regia Societate Londinensi, examinabit, domi votis & desideriis Dnn. Philiatrorum se accommodaturus.

D. JOH. CASIMIR. HERTIUS,

P. P. O.

Publicè ad Herbariæ rei delicias redibit plantarumque in horto imprimis medico demonstrationibus vacabit: Privatim, ita expetentibus

DNN. Commilitonibus, collegium anatomicum aperiet in aliis quoque ipsis non defuturus.

IO. MELCHIOR VERDRIES,

D. Medicin. PP. Ordinar.

Publice in doctrina de motibus vitalibus & animalibus corporis humani perget. *Privatim* Institutiones docebit.

D. JO. THOMAS HENSING,

Med. Prof. Extraord.

Publicis *Lectioibus* VENENA in tribus Naturæ regnis sponte nata, & ex iisdem Arte producta, Historice, Pathologice, Therapeutice ac Chemice explicabit. *Privatim* ut officio suo, pro artis medicæ cultorum votis, quocunque modo satisficiat, omnes vires intendet.

CHRISTOPH. BERNH. VALENTINI,

Med. D. & Prof. Extraord.

Publice ad *D. Pauli Hermanni Characteristicos Materia Medica* commentabitur. *Privatim* omnem lapidem movebit, ut Dnn. Philiatrorum desiderio & petito satisficiat.

IN FACULT. PHLOSOPHICA,

MICHAEL BERNHARD VALENTINI,

Phil. Experim. Prof. P. Ord.

Publicè *miracula naturæ* eorumque causas genuinas, *privatim* autem *experimenta* ad phænomena illorum explicandâ necessaria desiderantibus B. C. D. patefaciet:

MATTHIAS NICOL. KORTHOLT,

Eloqu. & Poës. Prof. Ord. Academ. Bibliothecæ Præfectus.

Publico studio introductionem, ad eloquentiam civilem latinam & germanicam, duabus horis tradet: duabus poëtarum inuenta de rusticis Lyciis, in ranas mutatis, enucleabit, bibliothecam more solito aperurus. Addet, DEO fauente, priuatim collegium stili epistolicum & oratorium, in vtraque lingua practicum, nec deest Cl. STRVVII introductionem in notitiam rei litterariæ, & vsum bibliothecarum, illustrari sibi, aliasue muneris partes expleri cupientibus. IOH.

D. IOH. GEORG. LIEBKNECHT,

Mathematicum Prof. P. Ordinarius.

Publice Trigonometri, vtilissimam illam Matheseos partem, & *privatim* fundamenta sua mathematica, nuper edita ita explicabit, vt quilibet intra anni spatium omnes ac singulas partes mathematicas absolvere, sibi que cognitae reddere valeat: His insuper lectiones historico-geographicas addet, nec iis ex Generos. & Nobil. Commilitonibus deerit, qui vel Architecturae militaris & civilis, vel reliquarum partium mathematicarum penitiorum cognitionem desiderabunt.

IO. HENR. MAIVS,

Antiquitatum, & Ling. Gr. ac Orientalium Prof. Ord.

Tribus prioribus in Aeliani varia historia libris ad finem fere deductis, vel reliquos eiusdem Atticistae, vel Homerum explanare ipsum, certo decreuerat: sed quum auditores, his addicti studiis, in patrias terras repedarint, futuri autem *Φιλέλληνες* sacrum desiderarent magis quam profanum scriptorem, ideo horum in gratiam vnum alterumue N. T. librum publice illustrabit. Illos etiam, qui antiquitates Ebraicas, aut orientis linguas addiscere cupiunt, quamprimum idoneus adfuerit numerus, manuductione sua promte iuuabit.

JO. MELCHIOR VERDRIES,

D. Physic. P. P. Ordinar.

Publice Dissertationes ad Physicam specialem absolvet. *Privatim* Institutiones Physicas explanabit.

JOH. CONRADVS ARNOLDI, D.

Log. & Metaph. Prof. Ord.

Quas, ad demonstrandam *Dei Existentiam*, rationes & argumenta sana ratio suggerat, superiori semestri, ex Theologia Naturali, rogatu Nob. liff. Commilitonum explicanda, publice proposuit: nunc quibus fundamentis, *in demonstranda Dei Essentia & proprietatibus*, eadem ratio nitatur, porro explicabit. Privatas Lectiones Logicas & Metaphysicas, ex usu & desiderio Dnn. Auditorum, vel novae, vel antiquae philosophandi methodi cupidorum, ita ordinabit, ut, juncto disputandi, cum publico,

tum

tum privato, exercitio, horis matutinis *Rudranffianarum Tabellarum*, pomeridianis vero *Philosophiae Instrumentalis Buddeanae*, ductum sequatur, utrinque etiam ad Logicam ac Metaphysicam divinam, nec non juridicam, manuducat.

SEBASTIANUS MASSON, P.

Quandoquidem quae absoluenda supererant ambo naturalis iuris collegia, sortita pridem sunt finem: & vero desideria sua iam patefecerunt plures; lectiones cum ad idem ius naturale, tum ad civilem prudentiam, ut &, si libitum praeterea fuerit, ad doctrinam moralem instante semestri denuo instituet. Exercitium porro disputatorium haecenus singulis Sabbati diebus priuatim habitum, utpote iis quorum perspicaciores iam sunt oculi perquam utile, haud interrumpet: operam suam in uniuersum, captui & petitis Dn. comilitonum constanter accommodaturus.

CHRIST. FRIDER. AYRMANNVS

Histor. Profess. P. Ord.

Publice Notitiam scriptorum aliorumque adminiculorum Historiae Germanicae, ad ductum Programmatis hac de re propediem euulgandi, tradet. Priuatim Cellarii Historiam uniuersalem intra semestri spacium explicabit. Historiam Germanicam ad Tabulas reuocatam proponet. Ad ceteras quoque omnes historici muneris partes promptus paratusque.

D. JOH. THOMAS HENSING,

Philos. Natur. Chem. Prof. Ord.

Publice in cursu chemico perget, ita quidem, ut, cum haecenus generalem operum ac laborum, quibus corpora naturalia solvuntur, mutantur, miscentur & componuntur, chemiae regulis directorum, dederit conspectum; nunc specialem istorum applicationem ad usum Physicum, Pharmaceuticum & Metallurgicum, docturus sit. Priuatum autem studium disponere & exercitare, Philochemicis integrum erit.

CHRISTOPH. LVDOVICVS RÜDIGER,

Prof. P. Extraord.

Academicas suas ita partietur operas, ut horam unam, *Methodologiae didacticae*, disputandi, interpretandi, & dissertationes librosque condendi, publice impendat: Alteram, *Philosophiae theoreticae*, hebdomadali exercitio disputatorio, in *Cursu*, locupletandam, consecret: Aliam *Notitiae litterariae speciali*, Musicae utpote, Matheseos, Ciuilibus historiae &c. destinet. Quartam denique nobili Nobilium Studio *Heraldico*, deuoueat. Nec in aliis, solidam veri cognitionem abs ipso postulantibus, muneris suo unquam deerit.